



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 16. De fuga tribus defectibus, qui in bonas nostras actiones irrepunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

DIES XVI.

De Tribus Defectibus, Qui In
bonas nostras actiones ir-
repunt.

I.

PRImus error, qui in optimas nostras actiones sese insinuat, est in ijs nos ipsos nonnihil quærere. Iniquum est actionibus suis alium finem præfigere, quàm Deo placendi, ipsúmque in illis quærendi: verùm, nisi assidue nobis, cunctisque nostris motibus attendamus, nisi cordi nostro semper invigilemus, tam propinquí nobis sumus, ut neque ex oculis nos amittere, nec vitare nos possimus. Amor nostri ipsorum adeò ingeniosus est ad nos ludificandos, & nos tam facile decipi nos patimur, ut, cum is seipsum relinquere viderur, vijs occultis ad se regredi nôrit, ut tam propinquus nunquam sit, quàm, ubi maxime remotus esse viderur. Ut ab hoc defectu nobis caveamus, frequenter, ac sincerè, si quid agimus, ex nobis ipsis sciscitemur. Estne Deus, quem hac actione, hoc consilio

November. quæro? id credendi rationem habemus, si sublimia, & vilia, suavia, & acerba perinde accipiamus; si id etiam eligamus, quod magis nos deprimat, & affligit, ubi id Deo placere credimus.

II. Alter defectus, qui in optimas actiones nostras illabatur, est in actionibus genio suo obsequi; & à naturæ instinctu duci se sinere. Actiones optimæ proprii genij impulsu factæ, bonæ amplius non sunt; vel si proprium duntaxat arbitrium eis se immiscet, imperfectæ evadunt. Homo actiones suas sanæ rationi convenienter, Christianus verò, è gratiæ impulsu instituere debet. Itaque qui naturæ solius impulsu rem agit, nec ut homo, nec ut Christianus agit. Innatus agendi pruritus, & anxia sollicitudo optimas fœdant actiones: sic enim vel intempestivè, vel præcipitanter fiunt, & sæpè destruitur ex una parte, quod ex altera exstruitur. Interpretamur charitatem, quod è naturæ propensione fit; Zelum dicimus, quod impetuositatis meretur nomen. Remedium est, naturæ impetum reprimere, cum is nimius esse advertitur; sollicitudinem moderari, quantumvis bonum sit, quod facere cupimus; neque agere, do-
nec

nec animum nostrum sereniore tranquillitate frui sentiamus. Novemb̃r.

III. Tertius defectus, qui bonis nostris actionibus se immiscet, est perturbatio, ubi res è voto non succedunt. Hæc turbatio è superbia, & è sui ipsius amore nascitur: adspirabamus ad felicem rei successum, & per hunc ad inanem gloriam obtinendam; sed ubi spe nostra depellimur, amor nostri ipsorum affligitur, superbia nostra comprimitur; hæc esturbationis nostræ causa; cùm è contrario, si nonnisi gloriam, & voluntatem divinam quæsissemus, tranquilli essemus; Deus enim depressione nostri honoratur, voluntas Dei impletur; quandoquidem ea non volebat, ut res è voto succederet. Cur igitur turbamur? si Deus contentus est, cur nos contenti non simus? Præterea nostri depressio nos humiles reddit, sic ea nobis utilior est, quàm successus, qui forsàn superbos nos reddidisset. Denique hujus depressionis, & bonæ voluntatis meritum obtinemus, si eam lubenti animo acceptemus, quod unicum Deus à nobis exigebat. Forsan consiliorum nostrorum subtilitate immoderatè nitebamur; hæc est causa sinistri successus. Sarciamus arrogantiam nostram divinæ volun-

November. voluntati nostram submittendo: hac enim ratione, et si cætera omnia perdamus; saltem pacem conservemus, quæ omnium rerum nostrarum jacturam sarcire potest.

Intra serid in te ipsum, ut cognoscas, an non aliqui horum defectuum, & forsan omnes actionibus tuis sese immisceant.

Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis. *Fac. 1.*

Si quæris in omnibus JESUM, invenies utique JESUM: si quæris teipsum, invenies teipsum; sed ad tuam perniciem. *Imit. Christi l. 2. c. 7.*

DIES XVII.

De Felicitate Hominis Probi in ipsismet casibus adversis.

I.

Homo probus in rebus adversis vitam quietam, facilémque agit, in medio infelicitatum felix; cum fides eum roborat, spes soletur, charitas animet. Fides eum roborat, tria ei proponendo. 1. Deum hominem in Cruce morientem; è fide discit, se è numero prædestinatorum esse non posse, si Christo Cruci affixo similis non sit.